



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 429. Usque Ad Annum 483

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1759

VD18 90117816

§. 15. Aliæ S. Leonis Decretales.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66052](#)

§. XV.

Sæculum V.
A. C. 460.*Aliæ S. Leonis Decretales.*

Aliquas S. Leonis Decretales habemus,
 quas suo temporis ordine non retuli,
 quod solam Disciplinam respiciant. Pri-
 ma, ad Episcopum Beneventanum dire-
 cta, 14. Martii, anno 458. data est. S. Leo
 eum acriter reprehendit, quod ordinem
 inter suæ Ecclesiæ Presbyteros servari
 solitus turbasset. Is nempe quemdam,
 nomine Epicarpum, ordinaverat, eumque
 consentientibus, imo & rogantibus duo-
 bus Presbyteris, ordine primis, omnibus
 præposuerat. Alius Presbyter, cui no-
 men Paulus, ob hanc mutationem quere-
 lam detulit ad Papam, qui jussit, ut sin-
 guli locum suæ Ordinationis tenerent,
 primis duobus exceptis, quos desiderium
 Episcopo suo placendi, & vecors assen-
 tatio movisset, ut loco suo cederent.
 Vult, ut post illum, cui cesserunt, stent,
 nimirum omnium ultimi. Putat insu-
 per S. Leo ipsis Gratiam fieri, pœnam
 Depositionis meritis. Cuidam Episco-
 po, cui nomen Julius, curam committit,
 ut mandata ista exequatur.

Epist. 118.
al. 5.

Altera harum Decretalium ad Theo- Epist. 83.
 dorum Episcopum Fori Juli directa est, al. 9.
 & de Pœnitentia agit. Data est 10. Ju-
 nii, an. 452. Initio epistolæ S. Leo Theo-
 dorum corripit, quod non ante omnia

D d 2 Metro-

Sæculum V. Metropolitæ sui consilium exquisierit, ut, A. C. 460. quæ ignorabat, doceretur. Tum administrandæ Pœnitentiæ totum ordinem exponit, Confessionem, Satisfactionem, & Reconciliationem, quæ pœnitentem denuo Sacramentorum participem reddit. Dicit, pœnitentiam quidem Ministerio Pastorum adimpleri, sed per IESU Christi Potentiam, & Donum Spiritus Sancti. (*) *Remedium istud, inquit, solis vivis prodest, nec potest adhiberi mortuis, qui, dum viverent, illo uti neglexerunt.* Misericordiæ Dei limites ponen-

S. Leo. non possumus, atque Satisfactionem, & Reconciliationem concedere omnibus petenti- bus etiam in extremo vitæ periculo deb-

misi,

(*) Ex his Confessio Sacramentalis clarissime probatur; Nam Ministerium Sacerdotis, IESU Christi, qui principali virtute absolvit, Potentia, & per Donum Spiritus Sancti Gratia sanctificans, luculenter exprimuntur.

Verba S. Leonis in memorata epistola 83. ha- sunt: *Sic Divinæ Bonitatis præsidiiis ordinatis, ut indulgentia Dei nisi Supplicationibus Sacerdotum nequeat obtineri. Mediator enim Dei, & Hominum Homo Christus IESUS hanc Præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut & confite- tibus actionem Pœnitentiæ darent, & eosdem salubri Satisfactione purgatos ad Communi- nem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent. Cui utique operi incessanter ipsi*

Salvo

mus, si modo vera, & sincera sit conver- Sæculum V.
 so. In dispensandis Dei Donis non simus A. C. 460.
 difficiles, & lacrymas se accusantium non
 spernamus, sed potius credamus, Deum ipsis
 tribuere Spiritum Pœnitentia. Si vox
 defecerit, sufficit, si moribundus signa det,
 se esse sui ipsius integre conscientium, aut qui-
 cunque præsentes, fide digni, affirment,
 pœnitentiam petiisse. (*) Papa Theodo-
 ro mandat, ut ad Metropolitam suum
 mittat hoc Rescriptum, quo etiam alii
 Episcopi instruerentur.

Epistola tertia Decretalis ad omnes
 Episcopos Campaniæ, & duarum vicina- Epist. 136.
 rum Provinciarum, Samnii, & Piceni di- al. 80.
 recta, sexta Martii anno 459. data est.
 S. Leo hos Episcopos vehementer incre-

D d d 3 pat,

Salvator intervenit, nec unquam ab his abest, quæ
 Ministris suis exequenda commisit. Nihilomi-
 nus Interpres Protestans, ut ea fide, qua ccepit,
 versionem suam compleret, verba Fleurii ex S.
 Leonis epistola excerpta: il dit, que la penitence
 s'accomplit par le Ministere des Pasteurs &c. ger-
 manice in sua Parte IV. pag. 668. ita reddidit:
 Er saget, daß die Busse nicht durch den Dienst
 der Priester zu Stande gebracht wird. Satis
 exploratum est, hunc Hominem amore veritatis
 non scripsisse. An quinta hujus versionis Ger-
 manicæ Pars prodierit in lucem, necdum ad meam
 notitiam pervenit.

(*) Hic certe sub voce Pœnitentia nihil aliud,
 quam absolutio Sacramentalis accipi potest.

Sæculum V. pat, quod Sacramentum Baptismi extra
A.C. 460. tempus solemne Paschæ, & Pentecostes
absque ulla necessitate administrarent,
idque omissis requisitis necessariis, instruc-
tione, Exorcismis, impositione manuum,
& jejuniis conferrent. Objurgat, quod
amore lucri Ecclesiæ Ritus contemne-
rent. Tum casus necessitatis indicat,
quibus existentibus nulla habita tempo-
ris ratione Baptismus sit administrandus,
scilicet, si morbus desperatus, incursum
hostium, metus naufragii urgeant. Rufus
eosdem Episcopos reprehendit S. Leo,
quod confessionem pœnitentium publice
recitari juberent. *Laudem quidem mertur*,
inquit, illa fidei abundantia, qua ita
timemus Deum, ut coram hominibus eru-
bescere non reformatidemus; at non omnia
peccata ejusmodi sunt, ut illi, qui Peni-
tentiā petunt, ea palam facere non recu-
sent, & multi a pœnitentia averterentur,
sive eos pudor cobiberet, sive timor inimico-
rum suorum, qui contra ipsos ex Legum pra-
scripto actionem movere possent. Igitur,
si peccata primum Deo, & deinde per Con-
fessionem secretam Presbytero () fuerint*
exposita, sufficit.

§. XVI.

(*) Quid ad hæc Protestantes, & eorum Pa-
stores? qui interrogati cur non secreto confi-
teantur, respondent: confitemur Deo. Arqui-
S. Leo